



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Nicolaus Tolent. Conf. 10. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

simul vivere iterum, simul vitæ illacrimari cœpit.
 Heu! eheu! ubi? hominum & Cælitum fidem!
 ubi sum? imò eheu! ubi fui? unde, ah! excedi?
 felix mors, quæ vivere me feceras? infelix ni-
 miūm vita, quæ mori iterum me cogis! Juvat, ô
 juvat iterum mori! Narrat deinde à morte ad
 beatas delicias abductum se inter Angelorum &
 Divorum comitatum, jam ambrosiam gustasse,
 jam nectar illud libasse; sed quod opera ejus porrò
 terris necessaria diceretur, ad vitam iterum dam-
 natum esse. Et nimur ex ergastulo suo ad Pon-
 tificatum Albigensem extractus pauperibus pa-
 trem, captivis vindicem se libertatis præbuit. Va-
 ticiis insuper clarus Regiis ædibus quandoque
 nudum gladium imminere conspexit, qui gemi-
 nos Regios filios intra vicesimum diem sustulit.
 Quod tamen mortuum se crederet, quamdiu vi-
 vebat, sui funeris ipse vates & vespillo tumulo se
 compósuit, & bis victor cælo subiit, viæ utique,
 quam nuper iverat, minimè jam ignarus. Ex
Greg. Turon.

*Hunc sequamur, huic militemus, cui conjunctus
 nusquam disjungitur miles, qui militantibus sibi glo-
 riam vitæ aeternæ, honorem regni cælestis & divitias
 hereditatis sue & divina cognitionis consortium peren-
 ne largitur. S.Paul.Epist.36.*

S. NICOLAUS TOLENT. CONF.
 10. Septembri.

Septennis NICOLAVS solenne deinceps habuit
 tres in hebdomade dies, interque eos illum
 etiam, quem VIRGINI dicamus, pane cibario &
 fontanâ victitare. In Canonicorum deinde Col-
 legium ascitus, cum illa pro concione D. Joannis
 audisset

audislet (*Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*) quasi uni illi dictum esset, exemplò ad eos Anachoretas abiit, qui D. Augustinum emulantur. Ibi facile ostendit, quād mundum mundique omnia odisset. Sacerdos ubi primū litare cœpit, è piacularibus flammis umbra adfuit, abduxitque ad immania tormentorum ergastula. Ibi simul hæc, simul sociæ umbræ omnes patronum sibi NICOLAVM legerunt; pro quibus cùm ille ad aram aliquoties dixisset, partem longè maximam à suppliciis absolvit. Sub hæc cùm eum è cognatis unus aliquis à Religionis amore abducere & mundo iterum conciliare pessimè conciliatus adniteretur, surdum scilicet reperit. At faciles aures invenerunt è cælo vates, qui obiturum feliciter NICOLAVM Tolentini cecinerunt. Eò enim ocyus abiit, stellâ duce, quæ ibi demum constitit, ubi tumulatus postea fuit. Morituro jamjam Christus cum Matre & D. Augustino obvius venit, cùm sex ante mortem mensibus quotidie sub noctem Angelorum concentus audisset, manifesto indicio, quād non longè à cælo abest. Ex Surio.

*Vis scire quales Dominus querat ornatus? Habeto
Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam, Fortitudinem;
his cæli plagis includere; hec te quadriga velut aurigam
Christi ad metam concita ferat: nihil hoc monili
pretiosius.* S.Hieron.ep.2.

SS. MENODORA, METRODORA,
NYMPHODORA, VV. MM. 10.Sept.

Iterum Virgines Martyres aspicis; hoc est, rosas & candore & purpurâ suâ nobiles, pulcherrima virtutis mixturâ MENODORA est, METRODORA